

Consurgens Eliseus abiit et secutus est Eliam.

Léctio libri primi Regum

19, 16b. 19-21

In diébus illis: Dixit Dóminus ad Eliám:

^{16b} «**E**liséum filium Saphat, qui est de Abelmehúla, unges prophétam pro te».

[17-18]

¹⁹ Proféctus ergo inde répperit Eliséum fílium Saphat arántem duódecim iugis boum; et ipse cum duodécimo erat. Cumque venísset Eliás ad eum, misit pállium suum super illum, ²⁰ qui statim, relíctis bobus, cucúrrit post Eliám et ait: «Osculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te». Dixítque ei: «Vade et revértere; quid enim feci tibi?».

²¹ Revérsus autem ab eo tulit par boum et mactávit illud et in iugo boum coxit carnes et dedit pópulo, et comedérunt. Consurgénsque ábiit et secútus est Eliám et ministrábat ei.

Verbum Dómini.